

65/6

NOTA SUBCOMMISSIONIS

---

De natura hujus schematis et de criteriis in eo adlaborando  
adhibitis.

Difficile est synthetice in titulo exprimere quae in hoc schemate desiderantur; proinde analytice quaedam elementa et criteria exponuntur; - agitur, in genere, de habitudine Ecclesiae ad mundum hodiernum, sed

- a) non agitur de evangelisatione mundi, sed potius de habitudine Ecclesiae ad problemata temporalia;
- b) non agitur de theologia generali de rebus temporalibus, sed potius de actuali realitate in lumine theologiae : sive theologiae speculativae, quae hujus temporis realitatem interpretatur ex una parte, sive theologiae practicae quae normas praebet ad actionem christianam in hac ipsa situatione. Submissio putavit non theses offerendas esse, sed tamen doctrinam quae si ex una parte pronunc peculiariter valet, ex alia parte transcendit momentum historicum;
- c) non agitur de mundo in genere, sed de situatione actuali in toto sumpta, non in particularibus, de quibus in adnexis : scilicet de bonis et periculis hujus momenti, de problematibus in quibus hodie homines versantur, de eorum anxietatibus, de eorum spe.

Agitur igitur de hoc :

Sub quo respectu Ecclesia participat et sua facit problemata temporalia nostrae aetatis, cum plenitudine amoris ad totum hominem quo Christus eam imbuat, sed simul sciens non habere nos hic manentem civitatem sed futuram inquirere.

Fatemur nos in adlaborando textu maximas difficultates habuisse, propter plures rationes :

- a) in dijudicanda situatione hodierna difficile est in <sup>am</sup> ~~evidentiam~~ ponere id quod vere majoris et centralis momenti est, eo magis quod situationes et problemata continuo et rapide evolvuntur;
- b) ut omnibus <sup>comperitum</sup> ~~conspicuum~~ est, relationes intra Ecclesiam et mundum, sua ipsa natura, extreme complexae sunt;
- c) duae positiones extremae vitandae erant; ex una parte quasi si Ecclesia indifferens esset versus realitates temporales, ex alia parte quasi si Ecclesiae munus esset totam sese impendere ad solvenda problemata hujus temporis.

Non facile erat invenire vel exprimere lineam mediam vel lineam synthesisi inter haec duo, quin optio fieret pro una vel altera parte.

Submissio putavit se recte interpretari intentionem eorum qui hanc Constitutionem proposuerunt et hujus nostrae commissionis plenariae, et praesertim expectationi Ecclesiae respondere, concipiendo hanc Constitutionem tamquam documentum stricte pastorale ( sed non ad modum nuntii - "messaggio" ) quo Concilium catholicis alloquitur, tali tamen modo ut per ipsam etiam acatholicos, immo et non christianos attingere possit.

Qua de causa conatus redactorum fuit modo loquendi uti qui, quamvis biblice inspiratus et theologice fidelis, majori facilitate percipi possit ab hominibus in disciplinis theologis non versatis nostri temporis.